

*præditi sint, in obscuro abjecti degant. Sic fato sæpe imperia transferuntur, translata confirmantur, confirmata iterum infirmantur. Sic fato nonnulli ex periculis vite liberantur, cum alii in eis pereunt &c.*

§. 19. Ubi non parum expedit, *fatum suum consulere.* nonnulli enim quasi ad bella in media pace nati sunt, ut nil feliciter peragant, nisi multas difficultates superaverint; his difficultates ortæ *signa sunt ad prosequendum finem impellentia.* Aliis demum destinata feliciter cedunt, quando nullæ difficultates suboriuntur; hos oportet *desistere, simulac vel minima obstacula incidunt.*

§. 20. Modo dictum fatum appellare solent *theologicum s. christianum,* quod proinde *reverenter habendum & patienter ferendum,* inprimis cum propter *optimum rerum nexum* a Deo institutum bonis omnia demum in salutem cedere debeant. Quod attinet reliquas fati species, utpote *fatum physicum, astrologicum & Turcicum,* his cum fundamento applicari potest commune dictærium: *quod fatum sit fatuum.*

§. 21. Qui benigniora experitur fata, is *fortunam,* qui inimica, is *infortunium* habere dicitur. Et sic fortunam, quam gentiles ut Deam adorabant, referimus ad providentiam divinam, estque nil aliud quam *positus certarum circumstantiarum a fato sive providentia divina factus,* quarum prudenti usu nos felices reddere possumus. e. g. de eo, cui fatum excellens ingenium, opes & occasionem litteras addiscendi concessit, affirmo, quod *prospera* utatur *fortuna,* quoniam de-